Senatui Premensi
Pax Christi

De Ao 1572.
193)

[= Mor. 1. 7 =
Nr. 217]

Clarissimi viri, et prudentissimi quos veneror et
colo. jam anni novem fluxerunt, postquam in
hujus inclytae Reip: scholam vestris auspiciis fretus,
pedem intuli, et grave hoc onus scholasticae guber-
nationis in me recepi: interea hoc egimus sedulò
primùm ut leges Dei, religioque et cultus in scholis
vigerent, deinde ut optimis artibus, optimâ ratio-
ne et via non agri civitatis hujus et fundi:
sed vestri et aliorum etiam hominum liberi
excolerentur, ut parvo labore suo, pueruli, exiguoque
tempore, puerilium disciplinarum scientiam et
fructum consequi possent. Neque defuit sanè Dei
omnipotentis benedictio, qui fideles conatus, labo-
resque nostros provexit, et multis tum civibus, tum
etiam peregrinis fructuosos reddidit. Ad me verò
quod attinet, atque ad meam rem familiarem in his an-
nis novem, quatuor fuerunt uberes et frugiferi,
qui laborantem agricolam liberaliter aluerunt:
Quinque autem proximi manes extiterunt, et fru-
gum vacui, et (quod dicendum hic sit) ingrati,
quibus ager noster scholasticus huic avido colono
nihil praeter spem tribulosque produxit, et supe-
riorum annorum omnem ubertatem consum-
psit. Appellavi subinde agricolationis nostrae
praesides, non importunè quidem: attamen serò,
et cum opgesset, negabant esse oleum in lecytho.
Mihi verò illud quod in satyra est, nonnunquam
in mentem veniebat: Poenituit multos vacuae,
sterilisque cathedrae. Certè nisi alendis aliquot pro-
tervis juvenibus, quae res aerumnas meas multi-
plicat, in ista rerum omnium difficultate, quasi
foris et παρέργως quaererem panem, vix me, me-
osque à fame defenderem. Nunc itaque ad vos viri

optimates, atq; ad vestram benignitatem con-
fugio. Intelligit vestra prudentia liberali eru-
ditione et linguarum, artiumq; scientia Ecclesi-
is, rebusq; publicis opus esse. Obnixè igitur rogo
atq; obsecro, ut vestræ liberalitatis copia tam
meæ, quàm aliorum unà mecum opus in scholis fa-
cientium inopiæ subveniat. Nos dabimus operam
ut grati et memores simus, neq; committemus,
ut vestræ potestatis severitas ullâ in parte offi-
cii scholastici industriam, fidem et diligentiam
nostram requirat. Locupletet vos interim Deus,
sapientiâ et consiliis salutaribus. Amen. Calen-
dis Novembribus 1572. in schola vestra.

Vestræ potestatis imperio
subditus
Johannes Molanus.

194) M. Carolo Myelio. Vesaliæ
Pax Christi.

[= Mscr. a. 7 = Nr. 218]

Quod nobis negotii dederas, vir eximie, id noster
Caspar in me, ut plus habentem otij transmovit;
Quæsivi ergò, ut par fuit, sedulò, quid in ea re
obtinenda vobis bonæ spei ostendi posset? Prin-
cipio non erit, ut opinor, tam grave pericu-
lum peregrinis in ista urbe: quàm vobis ve-
ster animus præsagit, aut quidam malevoli o-
minantur. Sæpè ante hac ejusmodi armatis
edictis terruerunt inquilinos suos colonia
et Wesalia: sed ea asperitas amoto metu pau-
latim elanguit, et hærendi locum concessit.
Heu miseria! Quàm afflictæ sunt nunc res
omnium propè Ecclesiarum? quam dura
conditio piorum? quinc in exilio quidem
commorandi locum nancisci queunt? Equi-
dem commoveor vehementer, neq; dubito,
hæc ea esse tempora, quæ propter electos